

einstellen

6
LW

DISPV TATIO
DE
SCRIPTVRÆ SA-
CRAE SENSU LITERALI
ET MYSTICO

pro B. Glassio, aliisque Jenensibus Theo-
logis contra diversam nonnullorum sententiam
potissimum conscripta,

quam
DEO O. M. ADJUVANTE
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,
DOMINO
VVILHELMO HENRICO,
DUCE SAXONÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, &c.

P R A E S I D E
JOANNE PAULO HEBENSTREIT,
S. Theol. Doctore, Consiliario Consistoriali Saxonico, & Alu-
mnorum Ducalium Ephoro
publicæ eruditorum disquisitioni
d. Maii M DCCIV.
exponet

ELIAS SAGAZIUS
Forstâ - Lufatus.

JENÆ, Literis PAULI EHRICHII.

REVERENDISSIMO,
PER - ILLUSTRIBUS GENERO-
SISSIMIS AC MAXUME STRENUIS

UT ET

AMPLISSIMIS CONSULTISSIMIS
AC PRUDENTISSIMIS

DNN. PRÆLATO
COMITIBUS BARONIBUS
EQUITIBUS CONSULIBUS
SYNDICIS & SENATORIBUS


INCLUTÆ

MARCHIONATUS INFERIO-
RIS LUSATIÆ STATIBUS

DOMINIS SUIS CLEMENTISSIMIS, GRATIO-
SISSIMIS OMNIQUE REVERENTIÆ AC OBSERVAN-
TIÆ CULTU AVITERNUM DEVENERAN-
DIS, PROSEQUENDIS

Hancæ dissertationem cum omnigeno prospe-
ritatis voto, ea qua par est animi sub-
missione.

D. D. D.
ELIAS SAGAZ.



I. N. I.

DISPV TATIO

De

SCRIPTVRÆ SACRÆ SENSV LITERALI ET MYSTICO

Th. I.



Ercelebris est distinctio, quā Theologiæ Exegeticæ Doctores inter sensum Scripturæ Sacræ literalem & mysticum distinguere consueverunt. *Sensus* Scripturæ Sacræ *literalis* esse dicitur, quando aliquid per Scripturæ Sacræ verba ex Spiritu Sancti intentione immediate & proxime repræsentatur:

A

Sensus

Sensus autem Scripturæ Sacrae mysticus est rei aut personæ per Scripturæ Sacrae verba immediate & ad literam significatæ ad aliud quid significantium accommodatio, à Spiritu Sancto in eodem Scripturæ Sacrae loco intenta, (seu sensus Scripturæ S. mysticus est, quando res vel persona verbis Scripturæ Sacrae immediatè & ad literam significata, ex intentione Spiritus Sancti in eodem Scripturæ Sacrae loco est typus vel signum alterius cujusdam rei aut personæ.)

§. 1. E.gr. dicti illius *Hof. XI. i. cùm Israel adhuc puer esset, dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium meum*, sensus literalis est, qui de Israelitico populo ex Aegyptiaca servitute liberato loquitur; sensus vero mysticus est, qui de Christo accipitur. Quippe Israelitici populi vocatio per verba allegata ex intentione Spiritus Sancti ad literam repræsentatur ac immeiatè significatur; res vero ipsa verbis istis ad literam & immeiatè expressa, vocatio nimirum populi Israelitici ex Aegypto, in illo ipso Hofæ dicto ex intentione Spiritus Sancti proponitur velut typus & signum vocationis, quâ Deus Filium suum Christum obminas Herodis in Aegyptum translatum inde revocavit.

§. 2. Allatas definitiones ipse *Thomas* docet, quando in *Summ. Theol.* Part I. q. I. art. X. monet, primam significationem, quâ voces significant res, ad sensum literalem pertinere, illam vero significationem, quâ res significatae per voces iterum res alias significant, esse sensum spiritualem. Easdem definitiones inculcat eruditissimus jesuita *Job. Azorius*, quando *Instit. Moral.* Tom. I. Libr. VIII. cap. II. ita scribit: *Literalis sensus est, quem ipse*

ipse *voce*s *propriè* *aut* *translate* *sunt* *proximè* *significant*.
Mysticus *verò* *sensus* *est*, *quem* *non* *voce*s *primò* & *proximè*
significant, *sed* *res* *vocibus* *significatæ*, *nimirum* *quando* *res*
vocibus *significata* *est* *typus*, *figura* & *umbra* *alterius* *rei*.

§. 3. Studiò autem in sensu literalis descriptione dico: *proximè* & *immediate*. Etsi enim non negemus planè, sensum quoque mysticum per Scripturæ Sacrae verba ex Spiritu Sancti intentione certà quadā ratione exprimi, ille tamē sensus per verba Scripturæ repræsentatur saltem *mediatè*, mediante nimirum ac interveniente re aut persona, quæ Scripturæ Sacrae verbis proximè, immediatè & ad literam exprimitur. Repræsentari autem mysticum sensum per Scripturæ Sacrae verba, duobus evincimus argumentis. Quippe (a) sic argumentamur: *Quicquid* *Scriptura* *Sacra* *significat*, *id* *per* *Scripture* *Sacrae* *verba* *significatur*. Atqui *sensum* *mysticum* *Scriptura* *Sacra* *si*-*gnificat*. Ergo *sensus* *mysticus* *per* *Sacre* *Scripturae* *verba* *significatur*. Minoris veritas ex ipsa *sensus* natura & definitione patescit, siquidem (uti B. Glasfus in Phil. S. Libr. II. P. I. p. m. 349.350. accuratè docet) *sensus* *formaliter* *est* *id*, *quod* *oratione*, *tum* *oretenus* *prolatā*, *tum* *scriptō* *comprehensā*, *significatur* *seu* *intelligendum* *offertur*, atque adeò speciatim *Scripturae* *Sacrae* *sensus* nihil aliud est, quam *id*, *quod* *ipse* *Scripturarum* *auctor* *in* *Scripturis*, & *per* *Scriptu-**ras* *hominibus* *cognoscendam* atque *intelligendum* *exhibit*. Major propositio ex eo manifesta est, quod Scriptura Sacra sit signum, vocibus ex instituto significantibus constans. (b) Argumentamur hunc in modum: *Per* *quaecunque* *verba* *pro-**xime* & *immediate* *significatur* *id*, *quod* *ex* *intentione* *Spi-**ritus* *Sancti* *est* *typus* *vel* *signum* *alterius* *cujusdam* *rei*, *per* *illa-**etiam* *ea* *ipsa* *res* *mediatè* *significatur*. Atqui *per* *Scripture* *Sacrae* *verba* *proximè* & *immediate* *significatur* *id*, *quod* *ex*

intentione Spiritus Sancti est typus vel signum alterius cuiusdam rei. Ergo &c. Confer. B.D. Veltinemii Fontes Theol. pag. 47.

Th. II.

Ex definitione literalis sensus liquet *primo*, sensum Scripturæ Sacrae literalem sæpius habere locum, ubi proprius exulat, atque adeò sensum Scripturæ Sacrae literalem cum sensu proprio perperam vulgo confundi, quando sensus literalis & sensus proprius coincidere planè dicuntur. Namque sensus Scripturæ Sacrae literalis est, quando aliquid per Scripturæ Sacrae verba ex Spiritu S. intentione *immediate ac proximè* representatur: Ast sæpè aliquid per Scripturæ Sacrae verba immediate & primùm ex Spiritu Sancti intentione significatur, et si proprius sensus, h. e. propria vocabulorum significatio à Spiritu Sancto intenta, locum non inveniat, prout e. gr. per verba illa: *Herodes est vulpes*, immediate & ad literam, Herodem esse astutum, significatur, licet sensus proprius ibi locum haud inveniat.

Th. III.

Vnde & *sensus* Scripturæ Sacrae *literalis* rectè distinguitur in *proprium & improprium* (seu figuratum, tropicum.) *Sensus* literalis proprius est, quando aliquid ex Spiritu Sancti intentione per verba Scripturæ propriè accepta immediatè &

* (5) *

tē & ad literam significatur: Ac sensus literalis impropus esse dicitur, quando aliquid ex Spiritu Sancti intentione per verba Scripturæ impropriè sumta immediate & ad literam repræsentatur.

Th. IV.

Secundo ex tradita sensus literalis descriptione patescit, sensum Scripturæ Sacrae literam non raro inveniri, ubi Historicus non datur, adeoque literalem sensum minus rectè vocari Historicum. Literalis enim Sacrae Scripturæ sensus esse dicitur, quando aliquid per Scripturæ verba immediate & ad literam ex Spiritu Sancti intentione repræsentatur; ac sensus historicus non nisi in historicis orationibus, seu in illa tantum Scripturæ parte, quæ continet historias, reperitur. Ast in orationibus multis, quæ non sunt historicæ, aliquid per Scripturæ Sacrae verba immediate & ad literam ex Sancti Spiritus intentione significatur. Ergo literalis Scripturæ Sacrae sensus sæpè ibi invenitur, ubi historicus locum non obtinet.

Th. V.

Ex tradita sensus mystici descriptione, in qua intentionis Spiritus Sancti mentionem fecimus, constat liquidò, allegorias Scripturæ Sacrae

illatas accurate loquendō non esse sensum Scripturæ Sacrae mysticum. Ita enim allegoriae non sunt à Spiritu Sancto intentæ, sed ab interpretibus excogitatae.

§. 1. Ut thesis hæc rectius intelligatur, in primis ostendendum est, quid sit *Scriptura Sacra allegoria*, quid sit allegoria *Scripturæ Sacrae illata*, quidve sit allegoria *Scripturæ Sacrae innata*.

§. 2. *Scriptura Sacra allegoria* (quam jesuita *Sandæus* in Grammat. profano, comment. 19. p. 882. allegoriam Theologicam adpellitat, alii allegoriam rerum nominant) est rei alicujus spiritualis per aliam in Scripturis narratam representatio. Hæc allegoria contradistincti solum allegoriae, quam vocant, *Rhetoricae*, seu allegoriae verborum, quippe quæ nihil est aliud, quam *metaphora continua*.

§. 3. *Allegoria Scripturæ Sacrae innata* est rei alicujus spiritualis per aliam in Scripturis narratam representatio, quæ intenta est à Spiritu Sancto, atque in ipsis Scripturis disertè explicatur & ostenditur. E. gr. Lex illa *Deut. XXV, 4.* *Non alligabis os bovi tritauranti*, continet in se allegoriam, quatenus ministros Ecclesiæ alendos esse simul indicat: Atque allegoria ista innata est, cum, quando Paulus *I. Cor. IX, 9.* ait: *Propter nos scripta est* (illa lex) *quia subesse debet arator arare*, hoc ipso non tantum rei spiritualis representationem expressè aperiat, sed & eandem representationem in divina illa lege intentam fuisse manifestè significet. Vide licet iis minimè suffragamur, qui *Apostolum I. Cor. IX, 9.* rei spiritualis representationem tanquam in lege à Deo intentam haud tradere autumant, sed ex verbis legis argumentum

mentum à minori sumtum velut efformare contendunt, quasi dixisset: *Siquidem non obturandum est os bovi trituranti, multò magis Verbis ministris stipendia non sunt deneganda.* Vid. B. Aug. Pfeifferus in Hermen. Sacra §. XI. Calovius Prol. in Gen. p. 90. Olearius Theol. univ. T. II. System. p. 1428. Sic & *historia de facie Mosis splendente, deque velamine faciei imposito allegorianam se complectitur*, quatenus Veteris Testamenti gloriam, ac judæorum in intelligendis Veteris Testamenti Scripturis coecitatem repræsentat: *Quam representationem ut in Veteri Testamento divinitus intentam docet & indicat Paulus 2. Cor. III, 7.* Plura innatae allegoriae exempla congesta vide apud *Glaß. I.c.*

§. 4. *Allegoria Scripturæ Sacrae illata* est allegoria, quam ab ipso Spiritu Sancto intentam esse Scriptura nuspian ostendit, sed hic vel ille interpres saltem tradidit, atque adeò *intulit*, seu est rerum verbis Scripturæ immediatè significatarum ad alias res repræsentandas accommodatio, quam ab ipso Spiritu Sancto in verbis istis intentam fuisse, nullò certò Sacrarum literarum indicio demonstrari potest. Cujusmodi allegoria est, quando e. gr. verba Gen. VI, 14. *Fac tibi arcam de lignis levigatis, mansusculas in ea facies, & bitumine linies intrinsecus*, ad Ecclesiam interpres nonnulli ita accommodant: *Arcā significat Ecclesiam*, quippe que constat ex credentibus & sanctis perpolitis per Verbum & Sacramenta; in hac (Ecclesia) sunt varie mansusculæ, variè nempe credentium status, varieque docationes; sedut status isti bene inter se cohærent, totaque Ecclesia firma sit, bitumine ac glutine charatis, concordis & pacis membra Ecclesie conjungi ac copulari debent. Sic & *allegoria Scripturæ Sacrae illata* est e. gr. quando *historia de columba in arcam redeunte, folium que*

que olivæ secum adferente ad alias res, spirituales nimirum, repræsentandas à nonnullis huncce in modum applicatur: *Folium olive significat Evangelium, quidpe quod Spiritus Sanctus in Ecclesiam velut in arcam intulit, ibique prædicari curavit; quemadmodum & oleum representat misericordiam & pacem, quam Evangelium annuntiat.*

§. 5. Illatæ ejusmodi allegoria similes esse dicuntur picturis, veri autem sacrarum literarum sensus lapideis muris consimiles e're perhibentur. Scilicet sicut domus suam habet firmitatem ex muris lapideis, picturæ autem domui nec minimam dabunt firmitudinem; ita etiam dogmata fidei ac morum verâ ac genuinâ Scripturæ Sacrae expositione, neutiquam verò illatis allegoriis solidè confirmantur. Vid. *Glaß* l. c. Ejusdem generis allegoria B. Frantzio de interpret. Script. Orac. 123. vocantur *Schan-Essen* (unde substantia hominis ali nequit.) Inprimis memorabile est, quod B. Luth. comm. in *Gen. c. XXX.* de istiusmodi allegoriis ac speciatim coactis huncce in modum scribit: *Est Allegoria tanquam formosa meretrix, que ita blanditur hominibus, ut non possit non amari, presertim ab hominibus otiosis, qui sunt sine tentatione: Tales putant se in medio Paradisi & gremio Dei esse, quando illis speculationibus indulgent. - - - Ego odi Allegorias. Si quis tamen illis uti velit, videat ut cum iudicio eas tractet.*

Th. VI.

Constat & ex proposita sensus mystici descriptione, per sensum Scripturæ Sacrae mysticum non esse intelligenda præcisè *mysteria fidei*. Quandoque enim per res verbis Scripturæ immediate significatas repræsentatur aliquid,
sup quod

quod non est mysterium fidei: prout e. gr. *Denter.* XXV. per non-obturationem bovis trituantis significatur, Ecclesiæ ministris stipendia non esse subtrahenda, quod tamen morale præceptum non est aliquod fidei mysterium.

Th. VII.

Nec minus ex allata literalis sensus definitio ne clare liquet, eum sensum sæpiissimè mysteria fidei importare, atque adeò sensum mysticum minus rectè per *mysteria fidei* definiri. Sensus namq; Scripturæ Sacrae literalis est, quando aliquid per Scripturæ Sacrae verba ex Spiritu S. intentione immediate ac proximè repræsentatur. Ast sæpiissimè evenit, ut per Scripturæ verba immediate proximèque mysteria fidei significantur: quemadmodum e. gr. quando Salvator *Joh.* III. inquit: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret, ut omnis, qui credit in eum, non pereat &c.* per verba illa proximè ac immediate fidei mysteria exprimuntur.

Th. VIII.

Adparet porrò ex data superius sensus Scripturæ Sacrae mystici definitione, non tantùm ex sensu Scripturæ Sacrae literali, verùm etiam mystico infallibiles firmasque probationes peti pos-

B

se.

se. Cùm enim sensus mysticus (uti ex definitione patet) à Spiritu Sancto intentus sit, sanè non minus, quàm literalis sensus, est Divinum Verbum: Atqui ex quolibet Divino Verbo certæ firmæque probationes omnino desumuntur. Vid. B. *Glasius* Phil. Sacr. Libr. II. Part. I. Tr. II. Sect. I. Can. V. Confer. Dn. D. *Bechmannus* Instit. Theol. pag. 89.

§. 1. E. gr. ex loco *Numer. XXI*, 9. (qui ratione literalis sensus de æneo serpente, ac ratione sensus mystici de Christo crucifixo loquitur) etiam mysticè intellectò reētè colligimus, quòd, sicut à serpentibus iti solò serpentis ænei in dēserto erēcti intuitu fuere sanati, ita fide intuentes Christum sanentur quoad animam & justificantur.

§. 2. Nostram sententiam ex ipsis *Pontificiis* tuerit *Salmeron*, quando comm. in c. I. *Hebr. Disp. VII.* §. idem scribit: *Valent rationes à sensu mystico & probato, non autem ita à mystico & voluntario pro cuiusque cerebro: at sensus mysticos ab Apostolis assignatos nemo potest respuere, quia illorum veritatem signa, quibus coruscabant, & sapientia doctrina & vita sanctitas testabantur & commendabant.* Sic & *Michael Medina* Libr. VI. de recta in Deum fide, cap. 25. ex literali solitimmodò sensu argumentum ad fidei dogmata confirmanda colligi negat, atque ex mystico multa efficacia argumenta desumi ait. Nec non *Johannes Azorius* Instit. Moral. Tom. I. Libr. VIII. cap. II. idem sentiens scribit: *Annotandum itidem est, mysticum sensum aliquando ad Fidei dogmata confirmanda valere, nemirum quando mysticus sensus ex aliquo Scripture loco planè constat, quales sunt mystici sensus, quos Paulus & alii Apostoli explicaverunt. Item quando mysticus sensus apertè ex tradi-*

traditione Christi Domini & Apostolorum liquet, certam etiam fidem facit. Nam sensus mysticus, si verus sit & ger-
manus, à Spiritu Sancto Scripturarum auctore est: Utrumque enim sensum, literalem & mysticum, Spiritus Sanctus
voluit.

§. 3. Valde igitur impingit Thomas, cùm in Summ. p.I. q.I. a.X. inquit: *E solo literali potest trahi ar-
gumentum, non autem ex his, que secundum allegoriam di-
cuntur. Non tamen ex hoc aliquid deerit Sacrae Scripture,
quia nihil sub spirituali sensu continetur fidei necessarium,
quod Scriptura per literalem sensum aliqui manifeste non
tradat.* Eodem modō hallucinatur Bellarminus, dum Libr. III. de verbo Dei cap. III. ait: *Convenit inter nos &
adversarios, ex solo literali sensu peti debere argumenta
efficacia.*

Th. IX.

Cæterū ostendi facile potest, quot modis differant invicem sensus Scripturæ Sacrae Literalis & sensus Scripturæ Sacrae Mysticus. Nimirum (α) differunt formaliter seu formaliter sua ratione. (β) In eo discernuntur invicem, quod sensus literalis sit mystico prior naturā & ordine. (γ) In eo distinguuntur, quod sensus mysticus, sicuti locum habet, literali prior sit dignitate.

§. 1. Primo, inquam, differunt formaliter. Si-
cut enim aliud quid est res verbis Scripturæ immediatè &
ad literam expressa, aliud res ea, quam repræsentat res
verbis Scripturæ immediatè designata, ita formaliter ali-
ud quid est sensus Scripturæ Sacrae literalis, aliud my-
sticus.

§. 2. Secundò sensus literalis mysticò prior est naturà & ordine. Namque (ut Aristoteles in categoriis docet) naturà prius dicitur, à quo non reciprocatur existendi consequentia. Atqui à sensu mystico ad literalem adessendi consequentia procedit, sed à literali ad mysticum istiusmodi consequentia vicissim haud valet. Rectè quidpe sic colligo: *Hic datur sensus mysticus, Ergò in hocce Scripturæ Sacrae loco deprehenditur etiam sensus literalis;* perperam autem sic concluditur: *Hic datur sensus literalis, Ergò huic Scripturæ Sacrae loco subest quoque sensus mysticus.* Rectè, inquam, à sensu mystico ad literalem argumentamur. Sensus enim mystici, sicuti is occurrit, fundamentum ac fulcrum est literalis sensus, quidpe qui etiam primò & proximè in verbis Scripturæ spectatur: quemadmodum in Phil. S. Libr. II. Part. I. Tract. II. Sect. I. can. III. B. Glassius loquitur. Minimè verò ita concludere licet: *In hoc Scripturæ Sacrae loco invenitur literalis sensus, Ergò hic quoque sensus mysticus querendus & ampliandus est.* Quilibet enim Scripturæ locus sensum literalem admittit, uti laudatus Glassius ibidem contra Lyranum accuratissimè docet: *Ast omni Scripturæ Sacrae t extui ac loco sensum subesse mysticum quis dixerit? Certè enim præcepta morum non solent passim, nisi sensum literalem, habere, qualia sunt præcepta Decalogi, & ea, quæ in libris Proverbiorum, & Ecclesiastæ contenta normam & regulam rectè vivendi præscribunt. Scitè Hieronymus in Matth. c. XXIII. ait: Multa in lege scripta sunt, que typos preferunt futurorum; alia verò aperta sunt, qualia sunt præcepta morum, non suraberis, Non falsum testimonium dices.*

§. 3. Est & literalis sensus mystico prior ordine, seu literalis mysticum ordine precedit. Videlicet literalis sensus mysticum præcedit ordine cum ratione significatio-

cationis, tūm ratione conceptus nostri, h. e. sensus Scripturæ Sacrae literalis non solum significatur prius, verū etiam antè à nobis concipitur, quām mysticus sensus. Literalis sensus significatur prius, quām mysticus, quia ipse per Scripturæ verba proximè & immediatè exprimitur, sensus autem mysticus immediatè designatur per res verbis scripturæ proximè expressas, quod verò per verba Scripturæ proximè significatur, illud utique prius significatur eō, quod proximè designatur per res verbis Scripturæ immediatè expressas. Sic & prius à nobis concipitur literalis sensus quām mysticus, quia rei aut personæ per Scripturæ Sacrae verba immediatè & ad literam significatae ad aliud quid significandum accommodatio non potest concipi, priusquam intelligamus, quānam res aut persona verbis Scripturæ Sacrae immediatè & ad literam exprimatur. Ex quo evadit manifestum, rectè sensum literalem respectu nostri immediatum, sensum verò mysticum respectu nostri mediatum dici. Sensus enim respectu nostri immediatus vocatur ille sensus, qui primum & immediatè à nobis concipitur: Ac sensus respectu nostri mediatus appellatur, qui à nobis concipitur mediatè, mediante nimirū & interveniente sensu aliò à nobis anteā concepto.

§. 4 *Tertiò sensus mysticus literali prior est dignitate.* Sensus enim mysticus, ut nobilior atque sacratior, magis intenditur à Spiritu Sancto, quām literalis. Id quod B. Glässius in Phil. S. Libr. II. P. I. Tract. II. Sect. II. sensuum mysticorum inductione eruditè probat. Cūm enim mysticus Scripturæ Sacrae sensus sit vel allegoricus, vel typicus, vel parabolicus, sensuum istorum unusquisque magis, quām literalis à Spiritu Sancto intenditur. Quippe sensum mysticum allegoricum magis intendi à

Spiritu Sancto quām literalem, manifestē indicat Paulus, quando 1. Cor. IX, 9. 10. docet, Deum in lege istā Deut. XXIII, 4. *Non alligabis os bovi trituranti*, magis de ministris Verbi praecepisse, *Num de bobus*, inquiens, *cura est Deo?* An propter NOS OMNINO (hoc) dicit? Propter nos enim scripta est (illa lex), quod sub spe debet is, qui arat, arare, & qui triturat, sub spe ejus particeps fieri &c. Ac sensum mysticum typicum magis, quām literalem, à Spiritu Sancto intendi, ex eo manifestum est, quod, quia sensus literalis in respectu ad sensum mysticum typicum sic dictus typum, mysticus verò antitypum exprimit, sensus ille literalis ad huncce sensum mysticum sese habeat, ut typus se habet ad antitypum, jam verò, cùm typus sit propter antitypum, antitypus e. gr. passio & crucifixio Christi primariò ac principaliter, typus autem, e. gr. serpentis ænei in deserto erexitio, secundariò ac minus principaliter à Spiritu S. Num. XXI, 9. intendatur. Nec non sensus mysticus parabolicus magis, quām literalis, à Spiritu Sancto intenditur, quia in parabolis res aliqua ut gesta unicè ideò narratur, ut aliud, quid spirituale designetur. Atque ex hac tenuis dictis constat liquidò, quod, quando B. Velthemi ad probandum, sensum mysticum esse principalem, literalem verò esse secundarium, in *Fontibus Theot.* pag. 47. sic argumentatur: *Ita namque sensus literalis se habet ad mysticum, sicut typus ad rem, cuius est typus: omnis verò typus est propter rem, cuius est typus, adeoque hoc sine principaliter intento ille secundariò intenditur;* ea argumentandi ratio saltem de sensu mystico typico procedat, atque evincat solum, huncce sensum mysticum literali priorem esse dignitatem.

Th. X.

Th. X.

Etsi verò Scripturæ Sacrae sensus in literalem & mysticum distingui consueverit, tamen simpliciter, strictè ac rigorosè loquendo non mysticus, sed solus literalis est Scripturæ Sacrae sensus.

§. 1. Nam (α) sensus Scripturæ Sacrae simpliciter, strictè ac rigorosè loquendō est immediata *vocabulorum* Scripturæ Sacrae significatio à Spiritu Sancto intenta (seu est conceptus per verba proposita proximè & immediate communicatus ex intentione Spiritus Sancti): ast sensus Scripturæ Sacrae mysticus non est immediata *vocabulorum*, sed rei significatio à Spiritu Sancto intenta. (β) Sensus simpliciter stricteque dictus ex contextu ipsisque verbis innotescit, prout B. *Lutherus* sensum istum Tom. VI. Witteberg. sic describit: *Sensus isti eine öffentliche Meinung des / das der Prophet will / und aus den Worten/die vor und nachgehen folget:* At verò mysticus sensus ex verbis & contextu colligi nequit, cum planè non innotescat, nisi à Spiritu Sancto alibi in Scriptura Sacra expressè revealetur. Vid. è Pontificiis *Alfonsus Tostatus*, Abulensis episcopus, *Qv. LV.* in cap. II. Matth. & *Qv. XXVIII.* in cap. XV. è Reformatis *Guilielmus Whitakerus*, Theologiæ in academia Cantabrigiensi Professor Regius, & Collegii S. Johannis Evangelistæ in eadem Academia præfectus, *Controv. de Script.* S. *Qv. V.* cap. II. è Lutheranis B. *Abramus Calovius* System. Theol. Tom. I. p. 664. & Prolegom. in Gen. cap. IIX. p. 79. Spectat & huc, quod B. *Georgius Calixtus* in Epirom. Theol. pag. 57. scribit: *Si accuratè loquamur, is vere est si nūs genuinus Scripturæ, quem autor ejus Spiritus Sanctus per verba aut dictionem, sive simpli-*

*Simplicem & propriam, sive metaphoricam & figuratam
PRIMVM intendit aut significare voluit.*

§. 2. Licet verò sensus mysticus simpliciter, strictè ac rigorosè loquendò non sit sensus, est tamen (1) suò modo verus Scripturæ Sacrae sensus, (2) verus sensus mysticus, (3) à Spiritu Sancto reyerà intentus, (4) à Spiritu Sancto primariò ac principaliter intentus, (5) respectu Spiritus Sancti immediatus, seu à Spiritu Sancto æque immediate intentus, ac literalis. Videlicet sensus Scripturæ Sacrae mysticus dici potest verus Scripturæ Sacrae sensus, quatenus sensus vox in latiori significatu denotat conceptum mentis, quem orationis auctor per verba sive immediate, sive mediare (mediantibus nimirum rebus per verba proposita proximè expressis) significare intendit.

Th. XI.

Mysticus sensus, literali contradistinctus, pro ratione rerum significatarum, præsertim à Pontificiis, distingui vulgò solet in *Allegoricum, Tropologicum, & Anagogicum*. *Allegoricus* dicitur quando res vocibus primo ac proximò significatæ, e.g. res veteris populi, accipiuntur tanquam umbræ & figuræ eorum, quæ ad Christum, & Ecclesiam pertinent (seu quæ de Christo & Ecclesia credimus). *Tropologicus* (seu *Moralis*), cùm res verbis immedia-
tè expressæ, ut res Veteris Testamenti, sumuntur tanquam figuræ & imagines eorum, quæ ad vitæ mores spectant (seu eorum, quæ nos agere convenit). *Anagogicus*, cùm res per verba proxi-

proximè designatæ, videlicet res veteris & antiquæ Ecclesiæ, accipiuntur tanquam umbræ & typi supernæ ac cœlestis patriæ (seu eorum, quæ speramus in vita æterna). Unde vulgati versus:

*Litera gesta docet; quid credas, allegoria;
Moralis, quid agas; quò tendas, anagogia.*

Vid. omnino Job. Azorius loc. cit.

E. gr. Cum vox Hierosolymæ, literaliter seu in literali sensu designet urbem illam totius Orientis celebrimam, Iudæa totius metropolin, in qua fuit templum Domini extactum pulcherrimum magnificentissimumque, & Regum Iudæa aula constituta, in sensu allegorico illa ipsa urbs typus & figura fuisse dicitur Ecclesiæ à Christo Domino fundata; tropologicè figura & umbra pia ac religiose mentis, in qua tanquam in civitate Deus templo, domicilium & sedem habet; secundum anagogiam imago supernæ ac cœlestis patriæ. Vid. Azorius ibid.

Th. XII.

Sed (uti doctè judicat D. Johannes Guil. Bajerus in Compend. Theol. Exeget. pag. 33.) nec distinctio illa adæquata est, nec ipsius fundatum ad præsens multum facit.

§. I. Inadæquata est distinctio illa, seu (ut B. Glassis in Philol. S. Libr. II. P. I. Tract. I. Sect. II. art. I. loquitur) inconcinnè Tropologia & Anagogia contradistinguuntur Allegoriæ, cum hujus sint quedam species. Certe enim cum res verbis proximè ac immediate significatae tanquam figuræ & imagines eorum, quæ ad vitæ mores spectant, aut tanquam umbræ & typi supernæ ac cœlestis patriæ

patriæ accipiuntur, id æquè propriè & accuratè loquendò allegoria est, quām cūm res per verba immediatè expressæ sumuntur velut umbræ & figuræ eorum, quæ ad Christum & Ecclesiam pertinent. Quando enim res verbis immediatè significata accipitur tanquam figura & imago ejus, quod ad Christum aut ad Ecclesiam (Novi Testamenti) pertinet, illud accommodationis genus ideo vocatur Allegoria, quòd res aliqua spiritualis per aliam in Scripturis narratam repræsentetur: Ast tunc quoque res aliqua per aliam in Scripturis narratam repræsentatur, cùm res per verba proximè ac immediatè designatae tanquam figuræ & imagines eorum, quæ ad mores spectant, aut tanquam umbræ ac typi supernæ ac cœlestis patriæ accipiuntur. Quod si excipias, allegoriam hic ideo strictè sumi, ut denotet *rei futura*, e. gr. futuri Messiæ aut futuræ Novi Testamenti Ecclesiæ, per aliam in Scripturis narratam representationem, allegoriam strictius acceptam non solum cum typo strictius sumto, sed & cum anagogiâ sensu Pontificiō sumtâ, quippe quæ etiam rei futuræ, æternæ videlicet vitæ post hanc demum vitam expectandæ, repræsentatio dicitur, imperitè confundes.

§. 2. Neque vero distinctionis istius fundamentum ad præsens multum facit. Ejus namque distinctionis fundamentum ponitur rerum per alias res significatarum diversitas: Ast si ratione materiae seu rerum per alias res significatarum inter sensus mysticos quærere licet differentiam, certè sensus allegoricus Pontificiis sic dictus non potest esse una species tropologico & anagogico sensui contradistincta, sed cùm ipse de rebus toto genere diversis, nempe de Christo, de Ecclesia in se spectata, Sacramentis &c. agat, loco ejus plures constituendæ sunt species disparatæ sub eodem sensus mystici genere sensui tropologico

gico & anagogico contradistincta, nempe *Christologicus* (qui scil. de Christo loquitur), *Ecclesiasticus* (qui de ecclesiâ Novi Testamenti in se spectata agit), *Sacramentalis* (qui nimirum Sacraenta Novi Testamenti, Baptismum aut Cœnam Domini, repræsentat.) Vid.B. *Job. Gerhardi Tractatum de interpretatione Script. S.* Loco Theol. de Script. S. subjunction, c. VII. §. 133. Sic & si justa fuit causa distinguendi sensum mysticum ex varietate rerum significatarum, nihil obstabit, quò minus & alium sensum literalem vocemus *Anagogicum*, alium *Tropologicum*, alium *Christologicum*, alium *Ecclesiasticum*, alium *Sacramentalē*: Namque & literalis sensus nunc de vita æterna, nunc de moribus, nunc de Christo, nunc de Novi Testamenti Ecclesia in se spectata, nunc de Novi Testamenti Sacramentis loquitur. Hæc cùm ita sint, scitè *Daniel Chamier* in Panstrat. Catholica Tom. I. Libr. XV. c. I. pronunciat, *curiosam illam mystici sensus distinctionem ex Scholarum potius esse morosiuscula diligentia, quam ex ulla eorum vocabulorum necessitate, seque Scholasticis λεπτολογια hanc libenter relinquere, ac simplicius sensum literalem & mysticum agnoscere.*

§. 3. Nos porrò in Pontificiis isthanc mystici sensus distinctionem crepantibus reprehendendum id censemus, quòd ad eam illustrandam proferunt subinde allegoriam, aut tropologiam, aut anagogen, quæ, cùm certi esse non possimus, ipsam à Spiritu Sancto in hoc vel illo Veteris Testamenti loco intentam esse, pro Scripturæ Sacrae vero ac genuino sensu planè haberi nequit, sed vocanda saltem est aliqua veri sensus ad aliam rem repræsentandam accommodatio ab interpretibus excogitata. Atque ejusmodi humanæ curiositatis pruritum deprehendimus & in Jesuita *Christophoro Gillio* sive *Aegidio*, *Theologiae primū in Co-*

Conimbricensi, postea in Eborenſi academia Professore, tandemque Roma inter censores ad examinandos libros cooptato, qui *Theologicorum de Sacra doctrina, & Effentia atque virtute Dei commentariorum Libro I. Tract. 7. c. 3.* in historia ingressus Christi super asina in sanctam civitatem varios sensus mysticos hunc in modum statuit: *Moralem assignavit Chrysostomus in Matth. 21. cum ait, eō factō Christum nobis regulam reliquissē, ne majora requiramus, quam necessarius usus exigat.* Hieronymus tetigit allegoricum, cum dicit, factū Apostolorum vestimenta sua ponentium super asinam Christo sessuō, significare, opus esse animæ dogmatibus Apostolicis, ut super eam Christus sedeat. Denique idem Hieronymus, Remigius & alii tradunt anagogicum, cum ajunt, illum Christi ingressum in terram Jerusalem fuisse figuram introitus in cœlestem.

§. 4. Illius, quam expendimus hucusque, distinctionis vanitatem demonstrant Job. Gerhardus l. c. Salomon Glassius Phil. S. Libr. II. Part. I. Sect. II. art. 1. Abraham Calovius Syst. Theol. Tom. I. p. 633. Job. Conr. Dannhaeu-
rus in Hermen. Sacr. pag. 26. seqq. Daniel Chamier loc. cit.
Sixt. Amama in Antib. Bibl. L. I. p. 162.

Th. XIII.

Rectius B. Glassius in Philol. S. Part. I. Tract. II. Sect. II. pro diversa significandi ac repræsentandi ratione mysticum Scripturæ Sacrae sensum, in eodem loco sensui literali contradistinctum, subdividit in *Typicum, Allegoricum specialius & strictè sic dictum, & Parabolicum.* Et *Typicus* quidem vocatur, quando in verbis Scripturæ res quædam alia repræsentatur per rem in visione pro-

prophetica verè factâ exhibitam, aut per opus aliquod externum reverâ factum, ad id per se destinatum, ut rem illam aliam significet. Allegoricus est, quando spiritualis aliqua res seu doctrina per aliam qualemcumque historiam remque verè gestam & in Scripturis narratam ex intentione Spiritus Sancti significatur. Parabolicus dicitur, quando in verbis Scripturâres spiritualis significatur per rem aliquam, quæ ut gesta narratur, aut fingitur potius, cùm gesta aut taliter gesta non fuerit.

§. I. In descriptione sensus mystici typici dico (1), ejusmodi sensum obtainere, quando in verbis Scripturâ per rem *in visione prophetica* verè factâ adumbratam alia quadam res repræsentatur. Hujusmodi quidpe sensus mystici modus occurrit in capite XXIV. Jeremiæ, quatenus à versu 1. usque ad versum 5. duos calathos, unum ficuum bonarum, alterum malas ficus habentem, Prophetæ Jeremiæ divinitus ostensos refert. Calathus namque ficuum bonarum venturam Ecclesia Judaicæ & Christianæ instaurationem, calathus verò malarum ficuum futuram Zedekiæ populique Judaici deportationem & calamitatem repræsentabat: Quæ explicatio in ipso illo capite & quidem versu 5. & seqq. traditur. Dico (2) in sensus typici descriptione, tunc quoque istiusmodi sensum inveniri, cùm per *opus aliquod externum* (reverâ factum) res alia repræsentatur. Videlicet opus ejusmodi externum typicum, per quod in verbis Scripturâ ex intentione Spiritus Sancti alia quadam res repræsentatur, duplex est: Aut enim est actio quadam

prophetica (h. e. actio, quam exterius prophetæ ad aliam quandam rem adumbrandam ex divino mandato peragebant), aut est alia quædam res gesta Veteris Testamenti, res in Novo Testamento similiter gerendas præfigurans. Vnde sensus mysticus typicus subest capiti decimo tertio Jeremias, quatenus illud verfu 1. & seqq. perhibet, Prophetam *cingulum lineum sibi divino mandato comparasse, comparatum lumbis imposuisse, ad Euphratēm posseā in petra abscondisse, & putrefactum iterum produxisse.* Quippe in illis Scripturæ Sacrae verbis per opus istud Prophetæ externum alia quædam res, divina nempe populo exhibita beneficia, ingratus populi animus & maleficia, ac eventura illi perditio, ex Spiritu Sancti intentione repræsentantur. Sic & sensus mysticus typicus inest dicto illi, *Exodi capite XII. extanti, quod, ne agni Paschalis ossa confringantur, interdicit.* Namque & in illis Scripturæ verbis per non fracta agni Paschalis ossa ex intentione divina significabatur, Christi in cruce pendentis ossa frangenda non esse. Cæterum opera ejusmodi typica, per quæ in verbis Scriptura alia quædam res repræsentantur, dicuntur *externa* in oppositione ad visiones propheticas, cùm non æquè, ut propheticæ visiones, intrinsecè in phantasia Prophetarum, sed extra Prophetas eorumque phantasiam peracta fuerint. Feci (3) in sensus mystici descriptione mentionem operis *revera facti.* In hoc quidpe sensus mysticus typicus à parabolico differt, quod, ubi typicus locum invenit, per rem *vere gestam* alia quadam res repræsentetur, ubi vero parabolicus deprehenditur, res spiritualis significetur per rem aliquam, quæ ut gesta narratur, aut fingitur potius, cùm gesta aut taliter gesta non fuerit. Dixi (4) in sensus typici descriptione, quòd, ubi is datur, res quædam

dam repræsentetur per visionem propheticam, aut per opus aliquod ad id *per se destinatum*, ut rem illam aliam significet. In eo enim sensus typicus ab allegorico specialiter stricteque sic dicto differt, quod, ubi typicus referitur, res quædam alia repræsentetur per rem in visione prophetica exhibitam, aut per opus aliquod ad id *per se destinatum*, ut rem illam aliam significet, ubi vero allegorius deprehenditur res, spiritualis per aliam *qualemcumque* historiam remque gestam significetur. Certè enim, cum e.g. *Exod.* XII, 46. sensus mysticus locum obtineat, agnus paschalisch, quæ ossa non fractus, *per se* ad id destinatus erat, ut Christum in cruce pendentem, cuius ossa confringenda non sint, repræsentaret.

§. 2. Liquet autem ex sensus typici exemplis hæcenus adductis, rem eam, quæ in sensu illo per rem aliam repræsentatur, non semper esse rem in Novo demum Testamento futuram gerendamque, sed quandoque rem futuram aliam, quandoq; rem præsentem aut præteritam.

§. 3. Quando porrò in thesi nostra sensum allegoricum diversam velut speciem sub eodem genere comprehensam contradistinguo sensui typico & allegorico, loquor studiō de sensu allegorico *specialiter stricteque* sic dictō. Si enim allegoria secundum vim vocis ac etymi pro tali sermonis genere, ubi aliiquid dicitur, & sub dicto aliud intelligitur ac significatur, aut ex Theologorum usu loquendi in significatu generaliori pro rei aliquius spiritualis per aliam rem in Scripturis narratam repræsentatione sumatur, sensusque allegorius esse statuatur, quando aliud dicitur, aliud significatur, aut quando res aliqua spiritualis per aliam in Scripturis narratam repræsentatur, sanc sensus typicus, parabolicus, & allegorius non possunt velut species disparatae sub eodem genere

nere sibi invicem contradistingui. Quod si enim eō modō allegoria sensusque allegoricus accipiāntur, sensus etiam typicus & sensus parabolicus sunt allegorici, atque sub sensu allegorico, uti species sub genere, continentur. Namque etiam in illis Scripturæ Sacrae locis, quæ sive typicum sive parabolicum sensum in se includunt, aliud dicitur, aliud significatur, resque spiritualis per aliam rem ibidem narratam repræsentatur.

§. 4. Quando & in thesi nostra afferimus, sensum mysticum in eodem Scripturæ Sacrae loco sensui literali contradistinctum subdividi in typicum, allegoricum, & parabolicum, hōc ipso subinuimus, nos haud quamquam per omnia subscribeare eorum opinioni, qui existimant, unum tantum eiusdem textus esse sensum, eundemque literalem, sensum verò mysticum literali in eodem loco contradistinctum non dari, sed esse potius applicacionem rei propositæ ad antitypum vel objectum spirituale, alibi à spiritu Sancto insinuatam, vel per rem ipsam tacite representatum. Nostram verò sententiam in Academia Jenensi à B. Glazio l.c. Tract. I. Seçt. I. B. Bechmanno Instit. Theol. pag. 83. seqq. B. Bajero in comp. Theol. Exeg. p. 32. seq. B. Veltinemio in Font. Theol. pag. 43. constanter assertam confirmatum imus (i) hocce argumento: Quicquid præter sensum literalem Deus in eodem Scripturæ Sacrae loco & per eundem locum significare intendit, seu hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet, illud est verus ac genuinus Scripturæ Sacrae sensus, literali sensui in eodem loco contradistinctus. Atqui id, quod vocamus sensum mysticum, Deus præter sensum literalem in eodem Scripturæ Sacrae loco, & per eundem locum significare intendit, seu hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet. Ergo id, quod vocamus sensum mysticum,

est verus ac genuinus Scripturæ Sacræ sensus, literali sensu in eodem loco contradistinctus. Majoris propositionis veritas ex sensu Scripturæ Sacræ definitione genuina & ratione formaliter patescit. Ille quidem sensus formaliter est conceptus mentis divinæ, quem Deus Scripturæ Sacræ auctor, hic & nunc in Scriptura & per Scripturam significare intendit, seu est id, quod ipse Scripturarum auctor in Scripturis & per Scripturas hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet. Nec minoris propositionis veritas in obscurō latet. Quippe (α) Scriptores faci Novi Testamenti, ut suis de Christo dictis fidem faciant, ea Veteris Testamenti loca velut de Christo loquentia quandoque allegant, quæ non in sensu literali, sed in mystico, literali contradistincto, de Messia agunt; prout e. gr. *Matthæus* cap. II. de fuga Christi in Agyptum scribens ad illud Dei dictum *Hoseæ* capite XI. consignatum, *Ex Agypto vocavi filium meum*, provocat; & *Johannes* cap. XIX. Christi in cruce pendentis ossa confracta non esse referens, illud *Exodi* XII. obvium Dei præceptum, *non confringetis illi (agnos)* os, allegat. Quod si autem nonnulla Veteris Testamenti dicta non in literali, sed in mystico sensu, literali contradistincto, de certo quodam objecto loquuntur, certè Deus præter literalem etiam id, quod vocamus sensum mysticum, in eodem Scripturæ Sacræ loco, & per eundem locum significare intendit: Id enim, de quo Scriptura Sacra loquitur, Deus, sacrarum literarum auctor, in Scriptura & per Scripturam hominibus cognoscendum atque intelligendum exhibet. (β) In illis Scripturæ Sacræ locis, ubi Deus per verba proximè & immediatè typum quæ talem insinuavit, antitypum quoque hominibus cognoscendum exhibuit: Typus enim in sua natura ac ratione

formali eam habitudinem ad antitypum importat, ut absque eo ne concipi quidem queat. Vnde e. gr. in historia de ænei serpentis erectione *Num.* XXI, 8. 9. Deus sensit simul, & significare intendit hoc, quod Messias in cruce exaltari debeat, ut homines per ipsum vivant: Nec in illo de ossibus agno Paschali non constringendis præcepto *Exod.* XII. intellexit ac significare simul voluit hoc, quod Christo cruci suffixo crura conterenda non sint. Rectè B. Scherzerus in Breviar. Hülsem. enucl. pag. 60. scribit: *Plena intentio illius dicti*: Os non confringetis illi, est is: *Nec agno, nec Christo per agnum typice præfigurato os comminuendum esse.* Prius enim factum est, ut impleretur posterius; inquit disertè *Johannes c. XIX, 36.* Idem docuit olim B. Gerhardus cùm in Tr. de Interpret. Script. cap. VII. inquit: *Quando ipsa Scriptura aliquid typicè interpretatur, tunc constat ex ipsis spiritus Sancti interpretatione, hunc sensum typicum in illa Historia contineri.* Agnoscant & hoc ipsis illi, contra quos hic disputamus. Fatentur enim disertè, in illis Scripturæ locis, ubi typus describitur, *antitypum per rem ipsam tacite representari.* Vid. D. *Augustus Pfeifferus* in *Herm. Sacr. c. III. §. X.* Quod si autem in illis Scripturæ Sacrae dictis, ubi Deus per verba insinuavit typum, antitypum quoque hominibus cognoscendum exhibuit, certè præter sensum literalem etiam id, quod vocamus sensum mysticum, in eodem Scripturæ Sacrae loco & per eundem locum significare ac representare intendit. Ea enim Sacra Scriptura dicta non in literali, sed mystico sensu antitypum representant. (γ) *Apostolus I. Cor. IX, 8. 10.* disertè docet, illam *Deuter. XXIII, 4.* extantem divinam legem, *non alligabis os bovi trituran- ti*, significare, adeoque & Deum per eam hominibus præ-

præcipere, quod ministri Ecclesiæ alendi sint : Atqui hæc doctrina est sensus mysticus, quem Deus præter literalem sensum, quippe qui de bruto ex more Ebræorum veterum unguis vel tribulis grana è spicis exterente agit, in eadem lege & per eandem in eodem Scripturæ loco hominibus cognoscendum exhibit. (II.) *Mattheus* cap. II, 15. testatur, per hoc, quod Jesus recens natus in Ægypto aliquandiu commoratus est, ac post Herodis obitum inde in Iudæam rediit, adimplatum esse illud Dei *Hos.* XI, confignatum dictum, *Ex Ægypto vocavi filium meum* : Nec non *Johannes* c. XIX, 36. perhibet, per hoc, quod Christo cruci suffixo crura contula non sunt, impletam esse legem illam divinam, quæ, ne agni Paschalios confringerentur, interdixit. Quod si igitur illa Veteris Testamenti loca in Christo sunt impleta, sancit Scriptura Veteris Testamenti ibi de Christo vaticinata est aut præcepit : Tunc enim Scriptura impletur, quando actu sit, de quo ipsa vaticinata est, aut quod ea præcepit. Quod si autem Scriptura *Exodi* XII. De Christo præcepit, & *Hos.* XI. de eodem vaticinata est, sanè in illis ipsis Scriptura Sacra locis datur simul sensus mysticus literali contradistinctus : Nec enim in sensu literali, sed in mystico duntaxat Scriptura Sacra ibi de Christo loquitur.

§. 5. Contrariam opinionem, quam sub initium præcedentis paragaphi enarravimus, B. *Augustus Pfeifferus* in Hermen. Sacra §. XII. copiosè tuetur, quando probare annititur, neque typicum, neque allegoricum, neque parabolicum sensum dari literali velut sensui contradistinctum, eodemque loco per eadem verba intentum. Videlicet §. XII. de sensu allegorico ita differit : *Quod in specie attinet ad sensum allegoricum, iste in exemplis*

plis afferri solitis non est diversus Scripturæ Sacré sensus
in eodem loco literali contradistinctus & per verba presen-
tia non minus ac ille indicatus; sed rei propositæ ad objecta alia
eaque nobiliora ab ipso Spiritu Sancto facta accommo-
datio & applicatio. Sic cum verbi causa Deut. XXV. 4. di-
citur, Os bœvi trituranter non obligandum, per bovem tritu-
rantem non intelligitur Doctor laborans vel docens, sed bru-
tum ex more Ebreorum veterum ungulis vel tribulis grana
è spicis exterens, & innuitur, illud non esse ore capistrato
per fruges ducentum neque prohibendum à granis inter
eundum legendis, qui sensus illius loci est literalis, isque uni-
cus. Cum ergo Paulus i. Cor. IX. 9. inde infert, Ecclesia
ministris victimum non esse denegandum, non exprimit sen-
sum præcepti Mosaici, per verba ista representatum, sed
accommodat istud præceptum ad suum propositum, inferen-
do ad majus, id scilicet multo magis Ecclesia ministris la-
borantibus conferendum esse, quod ne bobus quidem à Deo
sit denegatum, simulque innuit, Deum istud præceptum non
dedisse ultimo intuitu bœum sed hominum, ut sc. bi inde
concluderent seu per bonam consequentiam eruerent illud
morale, laborantem non esse defraudandum sua mercede.
Ubi vero omnino distingvendum est inter rationem præcep-
ti seu finem, cuius intuitu Deus præceptum dedit seque de-
disse in alio Scripturæ Sacré loco revelavit, & inter senten-
tiam illius præcepti, que ideo non duplex, sed unica est.
Sed Resp. Conceditur quidem, sensum allegoricum in
exemplis afferri solitis esse rei propositæ ad objecta alia,
eaque nobiliora, ab ipso Spiritu Sancto factam accommo-
dationem & applicationem, sed illa accommodatio
à Spiritu Sancto in eodem Scripturæ Sacré loco intenta
est, adeoque est sensus mysticus in eodem loco sensu li-
terali contradistinctus. Ac, licet non dicamus,

Deu-

Deuter. XXV, 4. per bovem triturantem intelligi Doctorem laborantem vel docentem : (hoc enim idem fore, ac talismodi Doctorem ibi per verba improprie accepta immediata & ad literam, atque adeo in sensu literali improprio & figurato significari); tota tamen res per verba ibi proximè & ad literam significata, nempe oris bovinum triturantium interdicta obturatio, ex intentione Spiritus Sancti est effigies inculcatæ Doctorum laborantium alimonie. Sic & licet e. gr. i. *Cor.* IX, 9. Apostolus illam: *Deuter.* XXV, 4. consignatam lege in suum accommodet propositum, Ecclesiæ ministros alendos esse docens, ea tamen accommodatio non est veri sensus cuiuscunque enarrationi opposita & contradistincta, sed est accommodatio, quæ simul sensum aliquem Scripturæ Sacrae verum, itidem à Spiritu Sancto *Deuter.* XXV, 4. intentum, explicat, idque, quod præter sensum literalem Deus in lege illa & per legem illam hominibus cognoscendum exhibuit, declarat. Disertè enim I. c. Apostolus inquit, legem illam propter Doctores latam esse, ac quod laborantibus Doctoribus & Ministris ecclesiæ stipendia suppeditanda sint, significare. Nec vero negat profus *Pfeifferus*, morale Deum per legem illam mortalibus cognoscendum exhibuisse : Fatur enim, Deum dedisse istud præceptum, ut homines inde concluderent illud morale, laborantem non esse defraudandum sibi mercede. Atqui verus ac genuinus Scripturæ Sacrae sensus est conceptus mentis, quem Deus in Scriptura & per Scripturam significare intendit seu est id, quod Deus in Scriptura & per Scripturam hominibus cognoscendum exhibuit. Nec quicquam hic dissentientes juvat distinctio *inter rationem precepti* (seu finem, cuius intuitu Deus præceptum dedit) sequere dedisse

in alio Scripturæ Sacrae loco revelavit), & inter sententiam seu sensum ipsius præcepti. Ratio enim istius præcepti quoad sensum suum literalem spectati est verus aliquis sensus, ac vera quædam sententia ipsius præcepti, cùm præceptum istud ratione sensus sui literalis consideratum tradatur ac intendatur propter mysticum, quem in se continet simul, sensum.

§. 6. Pfeifferus porrò l. c. §. XII. contra nostram sententiam ita differit: *Quod ad sensum Typicum, neque ille datur literali contradistinctus, eodemque loco per eadem verba intentus.* Distinguendum enim est inter Textus Biblici explicationem & applicationem, seu evolutionem Textus typum continentis, & typi illuc contenti, atque aliibi ad Antitypum applicati. Typi evolutio non est ipsorum met verborum explicatio, sed typi per verba Scripturæ Sacrae insinuati ad Antitypum applicatio. Sic quando Textus prophetie Jone explicatur, per Jonam non Christus, sed Propheta ita dictus intelligitur, per ventrem pisces non terræ gremium seu sepulcrum, sed alvus balene. Eadem vero historia cùm Typum Christi contineat, applicari potest ad antitypum; que vero applicatio propriè loquendō non est sensus prophetici textus mysticus literali contradistinctus, sed mysterium per rem narratam insinuatum. Sed neque sic probat satis D. Pfeifferus, non dari sensum Scripturæ Sacrae mysticum typicum, sensui literali in eodem loco contradistinctum. Typi enim evolutio, et si certa ratione sit quædam accommodatio, nempe rei per verba proximè & immediatè expressæ (h. e. typi verbis immediate & ad literam significatae) ad repræsentandam aliam rem, nimirum ad antitypum repræsentandum, accommodatio à Spiritu Sancto intenta, non tamen est accommodatio veri sensus enarrationi opposita & contradistincta

cta (qualis est, quando Scriptura Sacra jam explicata applicatur ad usum, e. gr. ad doctrinam, ad redargutionem &c.) sed simul sensum aliquem Scripturæ Sacræ verum ac genuinum declarat, dum quid per rem verbis proximè expressam Spiritus Sanctus insinuaverit, quidve in eodem Scripturæ dicto, quod de Typo agit, præter typum hominibus cognoscendum exhibuerit, disertè ostendit. Ac licet evolutio typi non sit immediata significatio vocabulorum Scripturæ explicatio, nihilominus tamen verum aperit Scripturæ Sacræ sensum, quatenus tradit, quid in eodem Scripturæ Sacræ loco Spiritus Sanctus per rem verbis immediatè denotatam significare porro ac repræsentare intenderit: Verus enim ac genuinus Scripturæ Sacræ sensus est conceptus mentis, quem Deus in Scriptura & per Scripturam significare intendit, sive significatio ea fiat immediatè per verba, sive mediantibus rebus per verba proximè expressis. Vnde & quando e. gr. historia de Jonā tribus diebus ac tribus noctibus intra piscis viscera concluso ad Christum applicatur Matth. XII, 39. 40, docetur clarè, Deum simul per illam historiam literaliter intellectam significare intendisse, quod Christus crucifixus etiam tribus diebus & noctibus in sepulcro sit commoratus: atque adeò ista ad Christum applicatio sensum textus prophetici mysticum, literali sensui in eodem loco contradistinctum, demonstrat. Certè ipsam suam sententiam destruit Pfeifferus, quando dicit, quod typi ad antitypum applicatio sit mysterium per rem narratam insinuatum. Quod si enim talismodi applicatio exponit mysterium per rem narratam insinuatum, ostendit sanè, quid Deus præter typum in eodem Scripturæ Sacræ loco per rem verbis immediatè expressam significare intenderit, ac proinde pandit verum aliquem Scripturæ Sacræ sensum, mysti-

mythicum videlicet literali in eodem loco contradistinctum. Neque vero ex eo, quod, quando textus prophetiae Jona explicatur, per Jonam non Christus, sed Propheta ita dictus, per ventrem pisces non terrae gremium seu sepulcrum, sed alius balena intelligatur, probari solidè potest, typi evolutionem Matth. XII, 39, 40. factam non esse genuinam textus Biblici explicationem, seu non exponere verum aliquem textus Biblici sensum. Etsi enim, quando textus prophetiae Jona explicatur, minimè dicamus, vocabulo Jona immediate Christum, ac nomine ventris pisces proximè & ad literam Christi sepulcrum designari, tamen, cum textus prophetiae Jona explicatur ejusque plenus sensus eruitur, monendum pariter, ac studiose observandum est, in eodem textu & per eundem textum Christi in sepulcro moram ita insinuari & cognoscendum exhiberi, ut ibidem res verbis immediate expressa, Jona videlicet in alvo balænæ commoratio, ex intentione Spiritus Sancti sit typus & figura Christi totidem dierum spatio in terra gremio jacentis. Atqni hæc textus propheticæ explicatio est ipsa typi evolutio : Ergo evolutio typi formaliter ad ipsam textus Biblici explicationem pertinet.

§. 7. Tandem & sensum parabolicum, sensu literali in eodem Scriptura loco contradistinctum non dari, D. Pfeifferus l. c. §. XII. ita probare satagit : Quod denique ad sensum parabolicum, neque ille literali propriè loquendo opponendus est. Parabola enim nihil aliud est, quam sermo similitudinarius (ut ita dicam) constans περισσοῖς & ἀπόδοσις. -- Si ἀπόδοσις expressè addatur, facile patet, non duplēcē esse sensum in textu eodem, sed unicūm. -- Si vero non addatur explicita vel plena ἀπόδοσις, tum vel scopus saltem parabole à Christo quasi indice

digitō

dico ostenditur, vel parabola nude proponitur (premissa
 quidem admonitione de re comparata, dissimulato vero pror-
 fus tertio comparationis). - Neque sic tamen duplex sen-
 sus datur, sc. parabolicus literali contradistinctus & per
 eadem verba indicatus; sed vel est locutio enthymematica,
 seu retincentia applicationis ab interprete supplende (jam
 autem non est quicquid, quid Spiritus Sanctus reticuerit &
 interpreti cogitandum reliquerit, sed quid per verba posita
 immediate intenderit?) vel ipse parabolicus atque medul-
 laris sensus potest dici literalis, per verba scilicet tropo con-
 tinuo affecta a Spiritu Sancto intentus, prout in aliis locu-
 tionibus figuratis non ille sensus est literalis, quem verba
 propriè & sine tropo accepta reddunt, sed qui sub figura
 latet. Sic quando Christus ait Matth. V. 13. *Vos estis Sal*
terra, id vel enthydymaticè capi, & απόδοσις suppleri pot-
est hoc modo: Vti sal resistit corruptioni physice, ita vos
Vestrā Doctrinā resistitis corruptioni anime; vel metaphor-icē h. 20. Vos instar salis homines preservatis. Sed in
 hoc quoque B. Glasius aliorumque Jenensium Theolo-
 gorum sententiæ opposito discursu multa desideramus.
 Quippe (1) si expressè additur απόδοσις parabolæ, patet
 potius, in eodem textu, nempe in parabolæ priori parte,
 seu in περάσαι, duplicum esse sensum, literalem & my-
 sticum. Unus enim idemque numero sensus, qui in α-
 πόδοσις est literalis, in περάσαι est mysticus, literali ibi-
 dem contradistinctus. Videlicet απόδοσις sensus lite-
 ralis, seu sensus, qui in απόδοσις proximè & ad literam
 per verba exprimitur, in περάσαι eatenus est mysticus,
 quatenus ibi non immediate per verba, sed proximè per
 rem aliquam, quæ ut gesta narratur, aut singitur poti-
 us, cum gesta aut taliter gesta non fuerit, velut per
 quandam rei alicuius spiritualis figuram & umbram,
 significatur ac repræsentatur. (2) Qui asserit, medulla-

rem ac primarium parabolæ sensum, quatenus in parabolæ *περιτάσσου* involvitur, posse dici literalem, per verba tropo continuo affecta à Spiritu Sancto intentum, is presupponit ac fovet Jesuitarum *Azorii* Instit. Mor. Tom. I. Libr. 8. c. 2. & *Gilli* comment. Theol tract. 7. cap. 2. p. 397. quæ in proxime subsecutura refelletur dissertatione, opinionem, quod parabola sit metaphoræ quædam continuata, seu allegoria rhetorica & verborum, quæ troporum, præcipue metaphoræ, continuatio est. (3) Dicendum igitur, tunc, quando in textu parabolico explicita vel plena *απόδοσις* non additur, reticeri ipsius parabolici textus evolutionem. Exinde vero, quod ipsius parabolici textus diserta evolutio intermittitur, inferre minime licet, non dari ibi sensum mysticum parabolicum, literali sensui in eodem loco contradistinctum, sed nostra potius sententia colligitur. Ulti enim textus parabolici explicita plenaque *απόδοσις* destituti evolutio, supplenda ab interprete, tradit aperitque ipsius sensum mysticum, qui in parabolico textu præter literalem continetur: ita reticentia istius evolutionis, in textu comprehensa, sensum mysticum, sensui literali in eodem loco contradistinctum, arguit. (4) Tradita in discursu opposito parabolæ definitio latior est suò definito. Liquidò enim ex proxime subsecutura dissertatione constabit, non statim ibi parabolam esse, ubi similitudinarius sermo, *περιτάσσου* & *απόδοσις* constans, reperitur. (5) Cum in memorato ante discursu sub ejus finem adferri debuisset parabolæ exemplum, ex Matthæi capite quinto metaphoræ quædam cum parabolis minime confundenda, ejusque *εξηγώσις* seu explicatio adducitur.

Th. XIV.

Cum igitur cum B. Glasio, & venerandis nostris in hac academia Præceptoribus sensum mysti-

mysticum, in eodem Scripturæ Sacrae loco sensu literali contradistinctum, statuamus, non eorum solùm hactenus impugnatae opinioni refragamur, qui *unum tantum cuiusvis textus esse sensum*, eundemque literalem, *sensum verò mysticum literali in eodem loco contradistinctum prorsus non dari*, sed esse potius applicationem rei propositæ ad antitypum vel objectum spirituale alibi à Spiritu Sancto insinuatum, existimant, sed & illic Theologis nos minimè assentiri profitemur, qui *sensum literalem plenum eum esse docent*, qui *plenam sive totam Dei revelantis intentionem exprimit*, atque adeò illum quoque sensum, quem nos vocavimus mysticum e. g. typicum, ad sensum literalem referunt.

§. I. B. Scherzerus in Elucid. Brev. Hülsem. cap. I. Thes. VII. p. 60. Hülsemanni opinionem (sensum literalem plenum esse eum, qui plenam sive totam Dei revelantis intentionem exprimit, plenam autem intentionem e. gr. illius dicti Exod. XII. *Os non confringeris illi*, esse eum : *Nec agno nec Christo per agnum typice prefigurato os comminuendum esse*, ac proinde interpretem, qui *verba illa de solo typo intelligit, non exprimere sensum literalem plenum, sed duntaxat semiplenum*) aliorum sententiis preferendam esse pronunciat. Ipse Scherzerus pro ista Hülsemanni sentential. c. ita scribit : *Vanus enim metus est : bac ratione concederatos fore unus dicti plures sensus literales : cum sit unus numero sensus ex pluribus partibus integrantibus (typo & antitypo) compositus. Quae compositio non duplē sensum facit, sed duplex tantum*

subjectum unius predicatori ad unum sensum ex intentione revelantis copulat, hoc sensu: ideo agno non erat confringendum os, quia Christo, cuius ille typus erat, nullum confringi debuit. Vel: Agno typice non confringendum est os, ergo nec ejus antitypo. Agnus enim typicus est prefigurans Christum.

§. 2. Ut ut verò magnos illos Theologos ob intentia in Ecclesiam merita dotésque fere incomparabiles etiam post ipsorum fata veneremur piè, ac suscipiamus, non possumus tamen non, in primis si manifesta veritas nos moveat, aliorum Theologorum, qui dexterimi nostri fuere præceptores, aut academiam nostram scriptis suis & lectionibus eruditissimis olim illustrarunt, sententiam tueri pro viribus, ac idcirco contra aliam, quæ opposita est, modestè disputare. Unde nemo nobis vitio vertet, si, quid in Hülfemann & Scherzeri opinione monendum nobis videatur, candidè profiteamur. Videlicet (I) et si sensum Scripturæ Sacrae plenum cum esse concedamus, qui plenam totamque Dei revelantis intentionem exprimit, seu omnem illum mentis divinæ conceptum importat, quem Deus in Scriptura & per Scripturam in hoc vel illo textu significare intendit, non tamen sensum Scripturæ Sacrae LITERALEM plenum cum esse dicimus, qui plenam totamque Dei revelantis intentionem exprimit. Quippe (α) sic omnis allegoricus Scripturæ Sacrae sensus, utpote qui eriam à Spiritu Sancto intenditur, esset literalis: quod tamen absurdum esse, ipse B. Scherzerus alibi, nimirum in *Anti-Beharmino* Disp. II. p. m. 138. apertè confitetur. (β) Deus alias quoque in Scriptura Sacra & per Scripturam Sacram aliquem mentis suæ conceptum significare intendit, qui ad literalem sensum referri minimè potest. Literalis enim sensus ex verborum sano immediate fluit (uti B. Scherzerus

rus

rus ibidem docet), & ex ipsa genuina verborum significatio-
 ne colligitur (ut B. Job. Gerhardus in Tract. de interpr.
 Script. cap. VII. observat): Ast Deus quandoque ali-
 quid in Scriptura & per Scripturam significare intendit,
 quod ex verborum sono haud fluit immediatè, neque ex
 genuina verborum significatione colligitur. Quis enim
 dixerit, in historia de Jona tridui spatiè intra piscis alvum
 concluso historiam de Christo totidem diebus in sepul-
 chro commorante ex verborum sono immediatè fluere,
 atque ex ipsa genuina verborum significatione colligi?
 Ecquis asseveraverit, in historia de serpente æneo contra
 morsus serpentinos erecto significari, quòd Christus in
 cruce sublatus credentes ab infernali serpentis morsibus
 sit sanaturus? Ad hæc literalis sensus ex contextu ipsius
 que verbis innotescit. Ast Deus interdum ali-
 quid in Scriptura Sacra, & per Scripturam Sacram signi-
 ficare intendit, quòd ex contextu ipsisque verbis mini-
 mè innotescit. Licet enim v. gr. totum *Hosea* contex-
 tum, & omnia ibi adhibita verba sollicitè expendas, non
 tamen, si secundum Matthæi caput in subsidium non va-
 ces, animadvertere valebis, in verbis illis, *cum Israel ad-*
huc puer esset, dilexi eum, & ex Aegypto vocavi filium me-
um, etiam de Jesu in Aegyptum deportato sermonem es-
 se. Unde sensum *literalem plenum* esse statuimus, qui
 continet omne id, quod Deus per verba ipsa proximè
 & immediatè significare intendit. (II) Negamus omnino,
 illum de Jesu Christo, cui ossa confringenda non erant, lo-
 quentem sensum ad literalem sensum legis *Exod. XII.* extan-
 tis pariter pertinere. Quippe, cum in toto capite ac contex-
 tu de agno paschali præcipiatur, ex verborum sono ipsaque
 genuina verborum significatione sensum de Christo loquen-
 tem colligere nemo valebit. Et cum in isto *Exod. XII.* consi-
 gnato præcepto, *Illi ossa non confringetis*, pronomen *ILLI* re-
 spiciat tantum ad eum, de quo in præcedentibus actum fuit,

agnum, paschalem scilicet agnum, nemo præcisè ad textum ipsum attendens lector judicabit, per legis istius verba proximè & immediatè Christum significari. (II) Sensem plenum cum sensu literali pleno ea, contra quam nunc disputamus, sententia confundit. Sensus enim, qui de typo agit, & sensus, qui in eodem loco antitypum exprimit, simul sumti absolvunt quidē (uti B. Gerhardus in Tract. de Script. S. interpret. dudū observavit) plenum ac perfectū sensum, sed plenū ac perfectum sensum LITERALEM minimè constituant.

Th. XV.

De cætero quod ad literalem Scripturæ Sacrae sensum attinet, docemus tandem, ac confitemur, unius dicti Scripturæ Sacrae, quatenus unō tempore ac loco ab uno eodemque auctore intende profertur, unum tantum literalem esse sensum, nec plures esse posse.

§. 1. Adversantur thesi nostra communiter Pontifici, qui (recte judicante Scherzerio in Brev. Hülsem. Elucid. cap. I. pag. 60.) ut Scripturam obscuritatis arguant, & monopolium interpretationis Papæ suo vindicent, unum idemque numero Scripturæ Sacrae dictum, quatenus unō tempore ac loco ab uno eodemque auctore profertur, plures literales sensus habere posse, & aetū habere statuunt. Disertè Jesuita Cornelius à Lapide in Proleg. in Mosen pluralitatem sensuum (literalium) in unum idemque Scripturæ Sacrae dictum invehere conatur ex fecunditate illa, qua Sacris literis Et. I.V, 10. ii. assignatur. Conferatur Jesuita Job. Azorius Instit. Mor. Tom. I. Libr. 8. c. 2. ubi ait, hanc esse communem Theologorum opinionem. Vid. Bellarminus Libr. III. de V. D. c. III. §. 7.

§. 2. Antequam vero ad theses ac sententias nostras probationem nos accingamus, status controversiarum probè est formandus. Scilicet (i) quæstio est de pluribus sensibus literalibus. Fatemur enim, unius ejusdemque Scripturæ Sacrae dicti, quatenus etiā unō eodemque tempore ac loco ab uno eodemque auctore intende profectū est, posse esse, atque alicubi revera esse plures sensus, quorum unus est literalis, alter mysticus.

§. 3. Disputatur hic (2) de Scripturæ Sacrae dicto unitate Logica

gicā uno. Sæpe enim popositio Grammaticè una duplicem habet sensum literalem. Quippe e.g. propositio illa Grammaticè una, Joël. II, 13. extans, *Scindite cor vestrum, & non vestimenta vestra;* duos in se continent sensus literales, quatenus vox *scindit* respectu vestimentorum propriam, respectu cordis impropriam obtinet significacionem. Quod si autem propositio illa conjuncta in duas hanc propositiones Logicas resolvatur: *Scindite cor vestrum, Non scindite vestimenta vestra,* quælibet earum non nisi unum literalem sensum habet, quatenus in una scindere impropriæ, in altera propriæ accipitur. Vid. B. *Glossius* in Philol. S. Libr. II. P. I. Traët. II. Sect. I. can. II. Conf. B. *Scherzerus* in Brev. Hülsem. eluc. cap. I. pag. 59.

S. 4. Disceptatur (3) de uno & eodem Scripturæ Sacra dicto, quatenus ab uno eodemque auctore, Spiritu nimirum Sancto, uno eodemque tempore ac loco profectum est. Concedunt enim nostri, quod unius ejusdemque dicti, quatenus eodem tempore ac loco à diversis auctoribus, aut ab eodem auctore diversis temporibus ac locis profertur, plures sensus literales esse posse.

S. s. Ipsam vero orthodoxorum sententiam nos unū hōc nunc probamus argumentō: *Sicutum id est in omni lingua, in omni locutionis genere, ut auctor orationis non ad decipiendos, sed docendos informandas que alios loquens, in uno eodemque dicto, quatenus in uno eodemque contextu semel ponitur, non nisi unum sensum absolutè ac simpliciter sic dictum (h.e. literalem sensum) effera;* sequitur, quod etiam *Spiritus Sanctus in uno eodemque Scriptura Sacra dicto, quatenus in uno eodemque contextu semel ponitur, non nisi unum literalem sensum enunciare intendat.* Consequientia ex eo liquet, quod *Spiritus S. in Scriptura Sacra non tantum ad homines modō humanō verbisque ex consveto loquentiū ad usum desumptis loquatur, verum etiam non ad decipiendos, sed ad informandos docendosque alios testante Apostolo 2. Tim. II, 15. verba faciat.* Antecedens autem argumenti tribus confirmari potest rationibus. I. Quando oratio aliqua, de cuius sensu nondum nobis certo constat, conflata est ex vocibus diversas significations in se continentibus, tunc eam non exponimus per copulationem, sed disjunctionem hunc in modum: Aut hic, aut ille, aut iste est orationis sensus. Jam vero si quadam recte debent disjungi, requiritur, ut ea inter se repugnantiam habeant, ac stare simul nequeant, h.e. ut, si eorum unum ponitur, alterū vel reliqua non possint ponī. Er-

qd etiam unus tantum sensus absolute dictus unius orationis uno eodemque tempore ac loco ab eodem autore prolatæ datur, alter vero vel reliqui sensus exulant. II. Ejus, qui orationem aliquam ad docendos aut informandos alios vel voce viva profert, vel in literas redigit, finis est, ut alter orationem audiens vel legens auditæ vel lectæ ista oratione determinatè unum quid concipiatur; Nemo autem oratione lecta vel audita determinatè unum quid conceperet posset, si orationis illius plures essent sensus simul intencio. III. Orationes supponuntur pro conceptibus mentis, h.e. ideo formantur orationes, ut significent alteri illud, quod autor orationis ipse concipit. Jam vero mentis humanae conceptus ad unum tantum hic & nunc est determinatus, e.g. conceptus, quo cognoscit, hominem esse rationalem, solum hominis rationalitatem, & non aliud quid hic & nunc mihi representant. Quodlibet igitur conceptus humanæ mentis in ipsò orationis autore ad unum tantum representandum est determinatus, & vero oratio ideo formatur, ut alteri significet id, quod autor orationis concipit, manifestum est, quod oratio unum quoque significet, seu unius ejusdemque numero orationis, quatenus uno tempore ac loco ab uno eodemque autore profertur, unus tantum sensus sit. Vid. *M. Smerius* in *Philos. sobria P. II. Sect. 2. cap. 2. quaest. 4.*

S. 5. Manifesta adeo est sententia nostra veritas, ut celebres quidam scriptores Pontificii aut diserte suffragentur nobis, agnoscentes quippe, unius ejusdemque Scriptura Sacra dicti non nisi unum esse literalem sensum, aut communem reliquorum Pontificiorum sententiam pro incerta, vel probabili dunt taxatabant. Certè *Michael Medina Hispanus*, Ord. Minorum, quem libros uberes & eruditos de rebus in Deum Fide scripsisse Jesuita *Anthonius Poffinus* in Appar. Sacr. Tom. II. fol. 113. iudicat, Libr. VI. de recta in Deum fide cap. XXV. nostram planit sententiam tuetur, fecutus in hoc (annotatione Jesuita *Gilliò* Libr. I. tract. 7. c. 4. n. 1.) *Alessio P. I. quaest. 1. n. 4.* *Albertum tract. I. Summ. quaest. 3. Henricum in Summari. 16. quaest. 2. & 3.* *Vnde Leobenhardus Coquaneus*, Augustinianus, Parisiensis Doctor in notis ad August., Libr. XI. de Civ. Dei cap. XIX. scribit: *Explodinga itaque Michaelis Medina sententia lib. 6. de recta in Deum fide c. 25. ubi negat Sidetur scripturarum eandem habere plures sensus literales. Sic & Jesuita *Johannes Azorius* Infr. Mor. Tom. I. Libr. VIII. cap. II. sub fin. perhibet, quosdamque inter eos Mich. Medin. sentire, quod ejusdem littera in Scripturis non possint esse duos & plures sensus literales, ipsosque docere, quod *Spiritus S. Scripturarum conditor unus tantum sensum soluerit, sicut voces propriæ, sicut metaphoria et accepta multa significent*. Jesuita vero *Cappar Santiū*, qui in Complutensi Collegio interpretatus olim est sacra volumina, ad cap. LIII. E. fol. 555. *Quidam, inquit, duos est possunt sensus literales: Sed valde controversum est, an tales esse possint. Content Alcasar Nota I. proœm. in Apoc. fol. 50. Statuunt & Bannez, Cumel, Sylvius ad part. I. q. I. Artic. X. in corp. non esse certum de fide, dari duplicum sensum literalem unius dicti præcipui.**

S. 6. Ceterum potissima contradicentium nobis Pontificiorum argumenta perspicue juxta & accurate ex Theologis nostratis inter plures alios examinariunt *B. Glassius* in Phil. S. Libr. II. Part. I. Tract. II. Sect. I. ad Can. II. & *B. Bechmannus* Infr. Theol. pag. 85. seqq.

DEO SIT LAVS, HONOR', & GLORIA!

Clarissimo Doctissimoque
DOMINO
SAGAZIO,
Philosophiæ Candidato, & Sacrae Theologiæ
Cultori præximio

S. D.

D. JOHANNES PAULUS HEBENSTREIT.

 Cūm omni ingenii nervorumque contentione ad sacra-
rum literarum intelligentiam adspires, nihil magis
curæ cordique Tibi est, quām ut res investiges, quas
locis singulis exprimit Scriptura & significat. Fru-
strâ enim impendit laborem, qui totum devorat codi-
cem, non attendit autem, quid iis vocibus, ex quibus constant
volumina sacra, Deus indigitatum voluerit. Quippe cūm Sa-
cra Scripturæ, uti B. Johannes Benedictus Carpzovius (a) eruditè
doctet, forma sit *divinus sensus vocibus enunciatus & scriptione denota-*
tus, non illi solūm Scripturam eam nesciunt, qui quidem singulas
sacrarum literarum paginas recensere promtè valent, ignorant
autem, quid hōc vel illō dictō insinuare hominum generi Deus
intenderit, sed & oracula celestia non allegant accuratè loquen-
dō, qui ad ea in genuino suo sensu haud intellecta provocant.
Hinc omnigenæ eruditionis apparatu ornatus ille Theologus Re-
formatus, Daniel Chamier in magno isto, multique, temporis ac
immensi laboris opere, quod Panstratiā Catholicam inscripsit, a-
cute judicat (b), hereticos nunquam in impii sui dogmatis confirmatio-
nem Scripturas protulisse. Isti enim mortales, ut Clemens Alexandri-
nus, Cesaubonū judge (c) doctrinæ inexhaustæ vir, peritè scri-
bit, τοῖς ὀνόμασι μόνοις περισταύχοτι, τὰ σημανόμενα ὑπαλλάξιον
τε, εἴδ' ὡς λέγονται γνωστούτες, εἴδ' ὡς ἔχειν πεφύκαστο χρόνου
h. e. solis vocabulis adharent, mutatis significationibus, neque quomodo
usurpata sint, cognoscentes, neque utentes iis pro ipsorum natura. Spe-
cia-

X 2

(a) System. Theol. Part. I. p. m. 71. (b) Tom. I. Libr. XV. cap. I. (c) in Pro-
legom. Exercit. Anti-Bar.

ciatim de Nicolaitarum immundissima secta Epiphanius (d) per-
hibet, quod vocabula quedam Hebreacè bene concepta, nec minus
commode Græcè redditia, ab iisque, qui Græcè legunt, planè intellecta,
exprimendis suis idolis accommodarit. Quandoquidem igitur novo-
rum dogmatum auctores à genuino Scripturæ Sacrae sensu turpis-
simè aberrarunt, tanto diligentius Tibi, verò sensu exactè di-
stinctò à falso, cavendum existimasti, quanto fertilior eorum se-
ges exitit. Ex isthoc Tuø laudabili studio factum est, ut præ-
sentem hanc de vero Scripturæ Sacrae sensu cùm literali, tūm my-
stico, dissertationem in publico eruditorum congressu defenden-
dam decerneret. Quod tūm institutum & eō nomine valde
mihi placuit, quod B. Glässii Philologiam non sedulò tantum unā
cum aliis lectissimis commilitonibus TE evolvisse, ac fideliter
didicisse, luculentis indicis demonstres, sed & contra quascun-
que aliorum objectiones promissimè tutari animô aggrediaris.
Doctè enim judicavit Thomas Crenius (e), Philologiam, quam
eximus ille servus Dei condidit, esse utilissimam, eaque utiliorem
in studio exegeticò unā cum Buxtorfii Thesauro Grammatico & Christia-
ni Noldii doctissimis concordantiis particularum Ebraeo - Chaldaicarum
Havniæ ann. 1697. impressis, librum non dari. Neque verò hocce
tantum specimen magnorum virorum benevolentiam Tibi con-
ciliabit, sed & virtutibus Tuis eximiis, ac præclaris animi doti-
bus doctissimos quoque & honestamantissimos in Tui amorem
allicies. Constat enim toti ferè academiæ, quanta morum pro-
bitate & elegantiâ inter tot alios hucusque eminueris, quâ affi-
dituate Philosophorum ac Theologorum scholas cum insigni tuo
profectu frequentaveris. Ego tot Tuorum decorum intuitu mi-
rè exhilaratus Æternum Numen veneror supplex, ut te corpo-
ris animique viribus florentem quām diuissimè præstet, atque
in Ecclesiæ sua magnum commodum ornatiorem subinde ac lo-
cupletiorem reddat. Scribebam in academia Jenensi d. XIX.
April. M DCC IV.

(d) *Hær.* XXV. (e) *Animadv. Philol. & Histor.* Part. I. cap. IV. §. 2.

501 A 6592



V 17
1380.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Farbkarte #13

Cyan

Blue



DISPV TATIO

DE

SCRIPTVRÆ SA- CRÆ SEN SU LITERALI ET MYSTICO

pro B. Glassio, aliisque Jenensibus Theo-
logis contra diversam nonnullorum sententiam
potissimum conscripta,

DEO O. M. ADJUVANTE ^{quam}

RECTORE MAGNIFICENTISSIMO,
SERENISSIMO PRINCIPE AC DOMINO,

DOMINO

VVILHELMO HENRICO,
DUCE SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ, MONTIUM,
ANGARIÆ ET WESTPHALIÆ, &c.

P R A E S I D E

JOANNE PAULO HEBENSTREIT,
S. Theol. Doctore, Consiliario Consistoriali Saxonico, & Alu-
mnorum Ducalium Ephoro
publicæ eruditorum disquisitioni
d. Maii M DCCIV.
exponet

ELIAS SAGAZIUS

Forstâ - Lufatus.

JENÆ, Literis PAULI EHRICII.